

DIES XXV. FEBRUAR.

V.K. I Gradus 5. Piscium, in quo juxta Ptol. Arcturus emergit & pluit. Vid. dicta d. 23. Ab hoc die (proh pudor!) incipiunt Bacchanalia, frequentantur epulae, & personati promiscue vagantur. K. R. P. Duae virgines invicem obverse. Sphaer. Arab. Sub hoc gradu nati, Venere & Mercurio aliqua radiatione conjunctis, divites, nobiles & longaevi erunt, Regibus insinuantur, à quibus magnifice honores. Jul. Firmic. lib. 8. cap. 30.

2 Nascitur Abel. Rab. Abraham. Torniel. ann. 2. dicit circa postremos mentes, quod intelligendum de annis orbis, qui à Martio. Haud placet, quod astruit Brietius, Abelem scilicet natum, ann. 129. ab orbe condito; quasi per totum illud tempus, quod fingunt Rabbinii, protoparentes abstinentissent ab usu conjugij, lugentes praevagationem & lapsum. Petr. Comest. in Genes. 25. qui etiam signat planctum speluncam in Hebron, qua de causa locus ille dicitur Vallis lacrymarum. Alij Rabbinii, & Calvino suffragante, fabulantur, Evam eodem partu edidisse Cain & Abel; quoniam ad partum Abelis de matre non dicitur, quod conceperit. Insignis expositio! Sine conceptu non est partus, & v. 2. dicitur: Rursum peperit. Joseph. 1. Antiq. cap. 3. ambigue scribit: Nati sunt autem eis & filij mares duobus prior appellatus est Cain, Abel autem secundus. De spelunca luctus Adami & Evae pro Abel, vide 25. Mart. n. 6. & 5. April.

3 De spelunca luctus propter primam transgressionem, dicit Petr. Aviti in Asia description. in Ceylan esse locum, qui dicitur Scopulus Adami in montis fastigio, quod saxo durissimo hominis gigantis impressum vestigium videtur. Cives insulae dicunt Adami esse: in ipsoque monte ostenditur spelunca, in qua traditur poenitentiam pro prima culpa multo tempore egisse, ibique sepultum. Traditio est, nil amplius quaeras. Quod profecto inconcussum, sit ubi fuerit, illum mille annorum diuturno luctu gratiam promeruisse remissionis. Genebr. ann. 1. De ejus salute & cum Christo resurrectione, dicitur 25. Mart. n. 6. Propugnat Irenaeus 3. Advers. Haeres. cap. 39. ubi Fevardent. n. 1. subdit: Dominum Jesum, cum secundum animam descendisset ad inferos, manum Adami tenuisse & dixisse: Pax tibi cum omnibus filiis tuis, justis meis. Ipsum autem Adam, Christi genibus advolutum lacrymabiliter deprecaturum cum voce magna his verbis: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delecasti inimicos meos super me. Domine Deus meus clamavi ad te, & sanasti me: eduxisti ab inferis animam meam: salvasti me à descendentibus in lacum. Vid. 27. Mart. n. 2.

Nascitur Abel.

Vallis lacrymarum.

Spelunca Adami, in planctum pro peccato

3 Mors Abrahami in fine anni signatur à Torniello in Tabul. Vid. 9. Octobr. n. 1. & 15. Decembr. n. 1. Ab hoc articulo, ann. 330. juxta Briet. insigitur Aegypto tertia plaga cyniphum. Perer. in 7. Exod. disput. 12. n. 69. Plaga gravissima, eò quod nemo videret, & omnes sentirent. Exod. 8. à 17. & Petr. Comest. hic cap. 17. Joseph. 2. Antiq. cap. 5. dicit tuisse pediculos, quibus Aegyptiorum scatebat caro. Hæc tria signa facta fuere per Aaronem: reliqua per Moysen, aut Numen. Comest. d.

4 Soluta obsidione Samariae, fugà Syrorum percitorum Panico terrore, emissio de caelo, copiaque rerum invecà in Samariam cum divite præda, uti referendum 23. & 24. Decembris, n. 5. venit Eliseus in Damalcum, quò invenit Benadad languentem, tabescentem, ac summo mœrore affectum ex infelici expeditione adversus Samariam; maximè dum cognovit, è caelo factam pugnã, à Numine meditatam. Unde despondit animum, corpusque elanguit præ animi gravi premente ægritudine. Rescicit statim adventum Elisei, & celeriter jubet Hazaëlem, copiarum supremum Ducem, maximis, ac pretiosis muneribus accedere ad Prophetam, & consulere de exitu ægritudinis contractæ. Legatum hunc ut Eliseus vidit, stebit ubertim, intuitus damna, ab illo, facto Rege, perpetranda Hebraeis, propter idololatriam illorum: nihilominus Hazaëlem in Regem Syriae unxit, ad quod missus à Numine venerat. Occurrit Antilogia, cuius expositionem videbis, 20. August. n. 4. Erga consultum de vita Benadad, respondit: Recreandum sanè, & revalescere posse: sed caeli decreto prope diem moriturum. Non imperantis erat vox, sed denunciantis, quæ ambitiosè & perfidè, facturus erat Hazaël, à Rege tot muneribus & honoribus dignatus. Gorionid. in Histor. Judaic. & Reuclin. ex 4. Reg. 8. à 7. Comest. hic, cap. 12. & Joseph. 9. Antiq. cap. 2. Adi postridiè, à n. 8.

5 Elapsis ab Hazaëlis unctione, ann. 323. postridiè mortis Nabuchi educitur Jechonias è carcere, vel mortui mandato, vel intima Jechoniae familiaritate cum Evilmérodach, qui pro patre Nabucho habenas regiminis in Babylone sumpsit. Jerem. 52. 31. Amicitia inter utrumque contracta, quia Evilmérodach in eandem custodiam reclusus est à patre Nabucho, qua detinebatur ab ipso Jechonias; eò quod cum Nabuchus vagaretur in silvis ut bestia; suffectus in throno pro patre, minimè sese gessit justè, immò tyrannicè, ut diximus, 15. Januar. n. 1. Comestor in Daniel. cap. 5. facit Evilmérodach filium minorem Nabuchi, & quòd in diebus ejectionis patris, multa egit impiè in terra, accusatusque esset apud Nabuchum, restitutum in priscam claritatem, patris justu detrusus est in carcerem, quo erat Jechonias, usque ad mortem fratris sui Balthazaris, ex qua libertas ejus, quoniam patri successurus: & cum in solum ascendisset, recondatus est Jechoniae, ut è tantis eriperet ærumnis.

Verba Adami in limbo.

Tertia Aegypti plaga.

Eliseus vidit Damalcum, quò invenit languentem Benadad.

Ungit Hazaëlem in Regem Syriae.

Jechonias solvitur à vinculis.

6 Alij asserunt primogenitum, sed gaudentem & plaudentem fatuitatem patris, immò ludibrium, summamque moestitudinem, dum menti patrem restitutum agnovit. Abulens. in 4. Reg. 25. quest. 37. & Lyran. in loc. cit. Jerem. Aliter Joseph. 10. Antiq. cap. 12. asserens, semper sibi displicuisse Nabuchi perfidiam, retinentis in custodia & vinculis, qui sese voluntariè cum uxoribus & liberis, totaque cognatione tradiderat: quapropter dum potuit, miserum libertati restituit. Petav. 1. p. Rationar. tempor. lib. 2. cap. 9.

7 Oritur Antilogia: equidem hac in die eductum è vinculis Jechoniam dicit Jeremias loc. cit. Perendiè, 4. Reg. 25. 27. Sanctius hic num. 19. sequitur Seder-Olam Hebraeor. cum illis que dicit, Nabuchum obijisse die 25. & quia ab ejus interitu pendebat Jechoniae libertas & honor; ab inimici excessu numeratur elevatio; quoniam obex in libertatem sublatus fuit. Aliter die 27. à n. 4. igitur hac in die etiam eductus est de carcere Evilmérodach; & Jechonias per illum in exitu liber à vinculis, quod sufficit ad veritatem elevationis. Hebraei loc. cit. dicunt: Si velis conciliare (opposita testimonia) & inde aliquid certi discere; scito, 25. die mensis duodecimi Nabuchodonosorem ejus hostem excessisse è vivis, & sepultum. Die 26. eum extraxit Evilmérodach de sepulchro & rapavit; quo ipsius decreta aboleret, ut impleretur quod de illo scriptum reliquerat Isaias: Tu autem projectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollucus, & obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta lacu, quasi cadaver putridum. Die autem 27. eduxit ipsum Jechoniam. Vatabl. & Maluend. conciliant, astruentes, die 25. initum consilium, & decretum de honorando Jechonia.

Evilmérodach incarceratur à Nabucho.

Quare liberavit Jechoniam?

Antilogia.

E carcere Evilmérodach eductus in solum.

Tom. I. Ephemer.

tertioque post die perfectum est. Quid sit illud Cadaver patris rapavit, videbimus postridiè n. 9. & 10. Serar. in 4. Reg. 25. cogitat Jechoniam è carcere in thronum assumptum haud alia de causa, nisi quia in deditorem obediit Jeremiae.

8 Post tres dies à victoria Ptolemæi Philometoris de genero Alexandro Balæo, ut diximus die 22. num. 6. divino judicio Philometor vitæ privatus est. 1. Machab. 11. 18. Arbitror non à die victoriæ, sed ab ablato Alexandri generis capite, inopinato fato functum fuisse. Sanctius hic, num. 7. Mors ejus varie describitur ab AA. Duplici decoratus diademate præ gaudium in victoria expiravit. Genebr. Ann. 3942. Arabs Alexandri caput misit Ptolemæo tunc fortè graviter ægrotanti: quo viso valde lætus justo Dei judicio mortuus est. Torniel. Ann. 3908. n. 1. & Salius cum Briet. qui addit: Graviter in capite faucibus, paulò post obiit. Ptolemæus in caput graviter vulneratus, inter curationem dum ossa Medici terere contendunt, expiravit. Tit. Livius, Epirotom. lib. 52. Alia fingit Joseph. 13. Antiq. cap. 8. postquam, naturà justum vocat, & nimia potentia haud cupidum. Fortè accidit in eo pralio (infit) ut equus Ptolemæi consternatus baritu elephantum, eum excuteret, prostratumque aggressi hostes, vulneribus in caput insitit; in periculum extremum adducerent, ni ereptus esset interventu satellinum: at tamen per integrum quadriduum sopitis sensibus, nec loqui potuit, nec loquentes intelligere. Alexandri verò caput Zabelus Arabum Dynasta recisum misit ad Ptolemæum: qui die quinta demum respirans à vulneribus, & ad se reversus, jucundissimo sibi rumore, simul & spectaculo capitis ac mortis Alexandri, pavit animum & oculos. Nec ita multò post exsatiatus, gaudio percepto ex inimici interitu, & ipse vitam finit. Mortuo Philometore, in regnum Syriae ingressus est Nicanor, seu Nicator, & in Aegypti successit Phylcon, pravi ingenij, qui quidem à Cyrene profectus, è regno expellere contendit filios Philometoris & eorum matrem; in cujus protectionem surrexit Onias summus Sacerdos templi Heliopolitani, ut diximus 24. Januar. n. 8. qua de causa Alexandriae Judæos objecit elephantis, sed liberati divinitus. Ibid. die 18. n. 6.

9 Romæ, à nonnullis signantur dies intercalares: at eam intercalatio fieret post Terminalia; die 22. n. 9. apposita: modumque exponemus die 29. n. 12. Hac in die duobus annis præcedentibus expulsionem Tarquiniolorum (Brietius signat novem annos)

Meritur Ptol. Philometor.

Demetrius Nicator Syria Rex.

Phylcon Aegypti.

nos) Gabij perfidè traditi Tarquinio Superbo à filio. Marcius in 2. Fastor. Ovid. v. 689. Quæ vi non valebat, expugnabat astu & dolo. Ei cesserat ad votum impostura in

Turnus Herdonius

Turnum Herdonium Latinorum Principem Argolicà calumnia, de qua Liv. 1. à sect. 172. & cum esset bellum inter Gabios & Romanos ex quorum excursionibus nata in urbe valida fames; cujus urgentià clamabat populus, opus esse pacem cum Gabinis componere, & quibuscumque conditionibus bellum finire. Anxius Tarquinius multa commentis, ut victor evaderet, propendit in dolo. Molitur, Sextum filium suum, ejusdem perveritatis, publicè virgis cædi, quasi in eum succensus, quippe bello adversatur. Unde uti patri iratus, supplex in Gabios, magnam manum amicorum & clientum transfugam secum trahens, ostendit plagas, quas propter amorem & fidem in Gabinos pertulerat. Illi albis visceribus stropham crediderunt, & imperatorem exercitus constituerunt, illum arbitantes à Numine mitium, quia in velitationibus nonnunquam Gabini superiores, prædà liberaliter ac munificè concessà; quo paulatim ostendebat verè à patre defecisse. Tunc nuncium ad patrem misit, quidnam se facere vellet: etenim ut unus ipse omnia in Gabijs possèt, Dij concesserant. Tarquinius coram nuncio, summa papaverum capita decussit baculo, nihil respondens. Intellexit Sextus, oportere eminentes Gabinorum tollere: perindè fictis criminibus fecit, & collocatis ad portas fidissimis amicorum, Gabios patri proditor tradidit. Tit. Liv. d. à sect. 181. Halicarnass. 4. à n. 4. & Turfellin. Ann. v. c. 236. Ovid. d. v. 709. accinit:

Astus Tarquinij Superbi

Turnus

Severus ejus filius perfidus.

Gabij dolo capti.

Ovid.

Principibus cæsis ex urbe Gabina, Traduntur Ducibus mœnia nuda suis.

10 Ipse subinde in prognosticum expulsiōnis Tarquiniorum ex urbe ob perfidiam, ac in sceleris poenam, refert:

Idem.

Ecce (nefas visu) medijs altaribus anguis Exit, & extinctis ignibus, extra rapit.

Prognosticon in Tarquiniorum expulsiōnem.

Apollinem Delphicum consulere placuit de portento, quod secuta lues, quæ per regionem grassabatur, potissimè in pueros & virgines; ut inquit Halicarnass. 4. Antiq. à n. 54. Responsum Oraculi filij Tarquinij non intellexerunt (uti diximus, 17. Januar. n. 10.) sed intellexit Jun. Brutus, cogitans promitti ab Apolline dominium ac exilium tyrannidis per osculum matri libatum: unde ille ut appullit exiliens de navi, jacens pronus, quasi offensisset pede, matri dedit oscula terræ; quo potius voto: & propter tur-

pem in Gabinos perfidiam, Tarquinij divitem, amplio rem amiserunt Romam. Idem v. 321. succinit:

Quid victor gaudes? Hac te victoria perdet. Idem.

11 Hac die jurè celebrata sacra Minervæ Victrici, quippe Brutus erat stulti sapiens imitator, ut dicemus 17. Jun. n. 17. Sacra, sicut imago è Græcia sumpta. Hujus Deæ simulacrum sine alis erat (inquit ex Heliodoro, Gyrald. Syntagm. 11. n. 18.) in dextra malum habens granatum, sinistra verò galeam, & ita culta in Athenarum arce. Idem in Megarensium, ait Pausan. cap. 40. Delubrum Minervæ, cui Victoria cognomen. Extat in Hispania fanum marmoreum cum inscriptione: Palladii Victrici sacrum: hic hostium reliquias prostigavit Cato; ubi sacellum miro artificio conditum & aream Palladis effigiem reliquit. Plutarch. in eo, & Gyrald. d. Vincere Minervam cum alis, erat triumphus Sapientiæ, armis perspicacis intellectionis. Sine pennis victoria, procul Palladis armis: majus, gloriosiusque trophæum sapientis Minervæ; sine alis partum armis stultitiæ. Albricus in Deor. imaginib. n. 8. inquit: Minerva Dea sapientiæ ex cerebro Jovis nata, quæ alio nomine Pallas dicta. Pingebatur armata galea & gladio, ac casside cum cristâ desuper: ipsa lanceam tenebat in dextra, in sinistra scutum crystallinum, in quo caput Gorgonis serpentibus pendulis. Oculos habebat splendidos triplici colore: pallium distinctum aureo, purpureo & caelesti: juxta se viridem olivam, & volitantem noctuam. Idem inquit Chartar. in Minervæ imagin. pag. 239. Per noctuam desipientia signatur à Pier. Valer. 20. cap. 15. & Ambros. 5. Hexamer. cap. 24. Fruitur Minervæ sapientiæ viridi victoria, signata in oliva, comite noctuâ: non utilis sola sapientiæ, sine prudentiâ comite: illaque prudenter sæpe obtinet triumphum, stultitiæ fumens velum. Minerva tunc Victrix dicitur ab Hemelario, Aureor. numism. Tabul. 36. Unde cum Minervæ prudentiâ victoriam partam adscribat; imaginem ejus exponit hastatam, cum victoriola in dextra, ad pedes scuto, ponè adstante trophæo.

Idem.

Sacra Minervæ Victrici.

Imagines.

Ingeniu Jun. Bruti.

Alia imagines Victricis.

12 Non secus qui Brutus, victor evasit; igitur ut tragœdiam Lucretiæ audit, uti refert quò dudum Halicarnass. num. 55. Jun. Brutus Tarquinios expellit. Protensis ad cælum manibus, Jupiter, exclamat, Diisque omnes, quibus cordi sunt res mortalium, hocine tempus illud nunc advenit, expectatum mihi sub hoc ficticio habitu? Hocine fatale est, Romam meis auspicijs liberari ab infanda tyrannide? Ex hujusmodi fausto articulo inventus est ab Ethnicis Deus Opportunus. Unde Horat. 1. Epist. 11. v. 20.

Dum

Orat. Dum licet, & vultum servat fortuna benignum, Tu, quantumcumque Deus tibi fortunaverit horam

Gratà sume manu.

Totum à Græcis, qui commenti sunt Deum Opportunum, seu Carum Saturni (nimirum temporis) natu minimum, in filijs, cujus ara celebris in Elide. Pausan. cap. 162. Cærus ergo ab Erasmo, Chilian. 1. Centur. 7. n. 70. pingitur volubili rotâ, pennatis insistens pedibus, vertigine quancitissimâ semet in orbem circumagat: priore capitis parte capillis hirsutâ, posteriore glabrâ. Etiam describit similiter Angel. Politian. 1. Miscelian. cap. 49. qui Carum facit puerum elegantis formæ, florulentæ pubertatis, crinibus sparsis Zephyro; cæteraque corporis specie similem Phœbo. Astipulatur insignibus simulacri, Gyrald. Syntagm. 1. n. 53. Aptius pingitur, dum sit unum cum Fortuna, quæ duplicem vultum habuit, album nimirum & nigrum: equidem ni opportunè res geratur in mœrorem facies festiva convertitur.

Imago.

Duplici specie.

Hesiod.

Optimum erit, si quis tempus expectaverit aptum. Ait Hesiodus, de Dieb. & operib. v. 87. nosque fusè Tom. 7. Tautolog. 10. à n. 6.

13 Quem Cærum Græci vocant, Ausonij dixerunt Opportunum Numen, seu Occasionem: quæ cum sit temporis punctum, in quo congruit aliquid gerendum vel non gerendum; planè error, ubi omisâ occasione punctum elabatur. Achill. Bocch. Symbol. 71. Hinc occasio ab ipso in rota collocatur largo crine, formam æmulans volitantis vagabundæ Fortunæ. Hoc Veteres Occasionis imagine minuerunt: quam nonnulli eandem Fortuna voluerunt. Simillima cerie inter se sunt, ut ex imaginibus intelligi potest. Ejus imago, mulier nuda, pedibus rotâ aut pila insitebat, longos capillos è fronte dependentes habens; cæterum occipitis recavastra, pedibus alarum, perpetuam comitem habens poenitentiam: nam ea nobis per imprudentiam manibus elapsa; nihil nobis præter poenitentiam relinquit. Cito avolat: eam postea comprehendere non datur; cum pedes ad fugiendum paratos, alarum habeat. Chartar. ubi supr. pag. 317. Cæca exponitur, cum Spe, talaribus ornata & cum novacula in dextra, clavo navali & copix cornu. Did. Aufonius Epigram. 12. Elias Vinet. hic, n. 13. Claud. Minos, in Alciat. Emblem. 121. Otho Vænius, Emblem. 43. & 88. Stuck. de Sacrific. Genil. cap. 44. Sophocl. in Philocter. v. 333. Posidipp. 4. Antholog. cap. 12. & Menan-

Occasio Dea.

Varie imagines.

Cum Fortuna & Spe.

der, in Cyclop. v. 14. Apta prorsum insignia, ut cognoscantur opportunitatis momenta, quæ clavus navis regiminis, cornucopiæ abundantia in rebus gerendis, in quibus ut foetus Eventus bonus (de quo, 7. Januar. n. 13. & 16. Maij,) aliàs quæ felicitas micabat, sine occasione novaculam habet, spem qua jugulat. Currendum lentè, ut sit opportunè: nam ut ait Pindar. in Olympijs, Od. 4. v. 509.

Occasio apud homines breve spatium habet. Pindar. Hac de causa Phædrus, lib. 6. Fabul. 7. ingeniosè canit de Tempore:

Cursu volucris pendens in novacula Calvus, comosâ fronte, nudo corpore:

Quem si occuparis, teneas: elapsam semel Non ipse possit Jupiter reprehendere.

Occasionem rerum significat brevem; Effectus, ni impediret segnis moras.

Finxere Antiqui talem effigiem Temporis.

Totum exponitur à Philostrato Juniore, in Scavis, cum Mythologia & politica pro temporis opportunitate. Ex elementis, quibus vox Occasio coalescit, exprimit Achill. Bocch. Symbol. 71. quantum noceat vel proficit intempestivum & opportunum.

O nil est. CC. bis centum nunciai, A. nil est.

S. Quintum: Primum, I. Russus & Obedi nihil est

Principium nihil est: bis centum, plurima: quinque

Non satis est, unus sui: venit inde nihil. Et licet obscura hæc videantur carmina, posunt

Si bene perspicies singula, clara loqui.

14 Inter Græcos Sacra Endymioni, ad ejus tumulum in Olympia, cum Deo Taraxippo. Meurs. Græc. ser. & Rhian. Cretenf. in lib. 13. Heracleæ. Inter specie pulchros numeratur ab Hygino, Fabul. 271. Quapropter cum ille quia pastor inter oves sub dio dormiret, Luna descendebat de cœlo ad oscula. Furius Fulgeat. 2. Mytholog. n. 10. Cæsar Germanic. in Arat. Phæmen. n. 39. ita ut illi montes Aseleni dicerentur, quia sine lumine, Lunâ absente. Nicander in Etolis. Ibi ostenditur antrum, quò dormivit per triginta annos consopitus à Luna: ex qua quinquaginta filias habuit. Rhodigin. 20. cap. 7. & Pausan. cap. 147. Jam non mirum Caligulæ delirium, de quo in eo Sueton. cap. 23. Endymionem ob eximiam corporis pulchritudinem, Luna flagrantissimè deperivit: cui data à Jove, quacumque vellet deligendi potestate; cum somno perpetuo immortalem sibi juventutem concedi postulavit. Apollodor. 1. Biblioth. n. 12. & Ravif. Text.

Pindar.

Phædr.

Enigma Occasionis.

Achill. Boc.

Sacra Endymioni.

Quæ fuerit & ejus gesta.

in